



Hist. nat. Sax. T. 36^a

CARMINA FVNEBRIA

IN OBITVM REVE-
RENDI VIRI, PIETATE, DO-

CTRINA, ET FIDE PRAESTANTIS, D. MAGISTRI
*Nicolai Spechtij Pastoris Ecclesiae Dei, Misena ad S. Afram, Qui pie in
Christo defunctus est XVIII. die Septembris.*

Anno M. D. LXV.

Apocalypsis XIII Cap.

Beati mortui qui in domino
moriuntur,



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXVI.

EPITAPHIVM REVERENDI

VIRI, D. M. NICOLAI RICI

Senioris,

καὶ σύγε Νικόλεω κῆσα πάντεσσι βροτοῖσι,
ὦγαθὲ κοιμηθεὶς ὑπνον ὀφειλόμενον.
δάκρυά σοι παράκοιτις ἔχασ' ἄχ' ἄκριτα θυμῶ
απένδει μνήμα πόθων, μνήμα φιλοφροσῶνης.
δάκρυά σοι κλαίοντες ἔορ γενετῆρα, χέσσι
οἱ παῖδες σοργῆς λείψανα τῶ φθιμένω.
οὔτε χόρθ' ἄμασῶν διὰ σὸν μόρον ἐσίη ἀκηδῆς,
εἰκόμ' ὀλεσασῶν ἀτρεκέος σοφίης.
σεμνῶς μὲν ζώεσκες ἐπί κλῆρονί, ὡσπερ ἔοικε,
τῶν λογίων πίσω θεσπεσίω προπόλῳ.
ἔσθλα δὲ χρυσοφύτῳ εἰργάζεο πόλλ' ἐμ' ἄλωῃ,
μήποτε δυσήνων φεισάμενθ' ἀματόν.
εὐν δέ σ' ἄμασῶν ἔνυρες, ὀφέλλων μύρια κύκλα
ζῆσαι, ἐπειτοίων οὐ κόρθ' ἔσ' ἀνέρων.
ἔειλε δέ σ' ἐντεῦθεν χρυσοῦ πατριχοῖσιν ἀθήσας
ὀμμασιν, ὡσε λάβοις σοῖο πόνοιο γέρας.
χαῖρ' οὖν ἀθερίοις ἐνὶ δώμασι, τῶτε λυτρωτῆ
ἄλλοισίντε μάκαρ τοῖς μακάρεσσι σωῶν.
χαίροις τίμι' ἄνερ, σέο δ' ἔσα μνήμα παρ' ἡμῶν
ἔσ' ἄμ' ἔωσι τινὲς λάτριες εὐσεβίης

Iohannes Ladislaus

Dresdenſis.

SANCTUS ut ante Deum preciosè has deserit au:
SANCTUS ut in domino fata suprema petit: (ras,
SANCTUS ita in domino lumen uitale reliquit,
Spechtius infixus carne animaq; Deo.
Spechtius ille Dei lustrans oracula, soli
Seruñt æterno Spechtius ille Deo.
Ac uirtute omni, pietate, timore, fideq;
Extitit inq; homines, extitit inq; Deum.
Diulgando sacri cælestia dogmata uerbi,
Innumeros cœli fecit adire uiam.
Progenuit denam uitali luce fruentem
Progeniem: illa sui est spes & imago patris.
Vt starent castis castissima foedera lectis,
Ciuica pro trepidis & tulit arma reis.
Hinc schola spirituale forum, atq; Ecclesia, gratã
Hoc doctore omni tempore sensit opem.
Gratulor ergo malis uacuum esse, poloq; potiri,
Conspectuq; frui, colloquioq; Dei.
At doleo, antistes, doctorq; et episcopus almus
Nicoleus, studiij causa caputq; mei.
Ah doleo, nobis quod fato ereptus acerbo,
Esse nequit miseris ferre paratus opem.
Ergo genis lacrymas grauidis, lugubria mentis
Munera, fundo animi debita signa mei.
Cumq; uetent tristes elegos iam pangere plures
Luctus, & cœptũ, quod modo torquet, iter:

Ipsius ipse animæ sanctam precor esse quietem,
Cum membris uita perpetuaq̄ frui.
Ipse Deus deno mœstam cum pignore matrem
Soletur, tribuens spemq̄ decusq̄ suis.

M. IOHANNES VOGELIUS

Dresdensis.

Picus in hoc tumulto post ultima fata quiescit,
Spiritus euictis omnibus, astra tenet.
Ad tumulum querulos ducit Constantia fletus,
Munera dat Pietas, mollia ferta Fides.
Adijciunt Musæ lacrymosum in funera carmē,
Et dolet abiecta mœstus Apollo lyra.
Ast erit illa dies, tumuli qua uiuus arena
Surget, & ad cœli gaudia carpet iter.
Tunc sacer ante Deum læto fulgebit honore,
Aemulus & magni lumine solis erit.
Felices, quibus hoc Christo sub iudice donum
Contigit, æternæ munera pacis habent.

ALIVD.

Vluimus incertam uenturi funeris horam,
Et subit ignoto mors inopina gradu.
Felix, sine bono qui clauserit integer æuum,
Dum meritis Iesu nititur alme tuis.
Talis erat Picus doctrina magnus & ore,
Clarus ab ingenio, nec pietate minor.
Deseruit sacras fatis ita dantibus aras,
Corpus humo fruitur, mens resoluta polo.
IACO,

JACOBVS STEINBRECHERVS

Misnensis.

VELLE sibi certam promittere funeris horam,
Hoc certè est leges dicere uelle Deo.
Huic ego sum uates: heu quàm non tutus in hora
Dum se sperabit uiuere posse cadet.
Seu tua solius submissi iussa faceffent,
Omnes terrarum quos tenet hospitium,
Clarius aut te nil habeat, nil sanctius orbis,
Seu uideare tibi proximus esse Deo:
Certius in terris nihil est tibi morte, minusq̃
Quod fugias, quoduis ut fugias aliud.
Què modò felicem, modò què sacra uerba docen
Audimus, tristis Spechtius umbra iacet. (tē
Nunc lugere licet caput hoc uenerabile nostrum,
Et licet, & pietas hoc monet ipsa uiri,
Spechtius æternoq̃ bono uitaq̃ fruatur,
Debetur cunctis scilicet illa dies.

CAROLVS LEVSCHNERVS

Misnensis.

Picus qui Christi uerbum, Christumq̃ sonabat,
Tranquillum, at subitæ mortis adiuit iter.
Ite p̃ij cœtus, & luctu condite uultus,
Pastori uestro debita iusta date.
Quem uos audistis diuina oracla docentem,
Cū celebri hunc pompa contumulate solo.
Quid mortem Albini, quid funera fletis Alexij?
Expleta est annis ista, quere la suis.

A 3

In

In modò defunctū lacrymas conuertite Picum,
A uobis meritis has petit ille suis.
Omnes ergo, pī quos tangunt funera Pici,
Tu tamen ante alios Misena mœsta dolo.
Hic tibi deliri fugiens mendacia papæ,
Monstrauit ueram ad regna beata uiam.
Quod fuit Albinus clarus pietate fideq̄,
Hoc tibi, dum licuit, Misena Picus erat.
Quid tamen ista fides? quid sustinuisse labores?
Aeterni uerbum quid docuisse Dei?
Quid iuuat integram fœdo sine crimine uitam
Duxisse? heu nullo Pice timente iaces.
Tu Christū lingua, et constanti mente professus,
Christo posthabitis uita opibusq̄ tuis.
Tu tibi commissum Christi tutatus ouile es,
Ne fieret sæuis præda uoranda lupis.
Doctor eras simplex, nec sectabaris honores,
Doctorum nimium quos rude uulgus amat.
Nec noua spargebas ueri sermonis amore,
Mentitæ hæreseos nullius auctor eras.
Multi eheu uiuunt, merito quos quilibet odit,
Aduersus Christum qui fera bella cient.
Picus at interijt nulli pietate secundus,
Picus perpetuò uiuere dignus erat.
Optima quæq̄ prius nostro rapiuntur in æuo,
Succedunt semper deteriora bonis.
Tristia Carlstadius Lutheri funera uidit,
Et uiuo Illyrico terra Melanchton erat.
Quid

Quid

Quid referam pro te multorum uota precesq̄,
Irrita præcipitis quæ tulit aura Noti.
Purpureum ueluti perdit decerpta colorem,
Non tamen ingrato spirat odore, rosa:
Sic uirtus roburq̄ tuum uanescit in auras,
Et post te reliquum nil nisi fama manet,
Hoc tibi, quod memini, prædicere sæpe solebas,
Vix potero in terris longius esse super.
Occidit Albinus, decessit Alexius, & nunc
Proximus, haud fallor, qui moriatur, ero.
Exitus accessit uerbis, nobisq̄ dolorem
Tempore qui nullo desinet esse, tulit.
Sed quid ego uanas in longũ extendo querelas?
Sic uisum est summo, qui regit omne, Deo.
Nec tibi Pice malè est cœlesti sede recepto,
Hic ubi perpetuæ gaudia pacis habes.
Iam sanctos inter proceres, quod sæpe petisti,
Aspectu frueris colloquioq̄ Dei.
Et mox cum Christo uenies in nube corusca,
Tum nobis rursus conspiciendus eris.
Ossa tegit tumulus: tumulum pietasq̄ fidesq̄
Seruant: æternum laus pietatis erit.

IOHANNES MILICHIVS DRESDENSIS.

VT uigil ambit oues pastor funda q̄ pedo q̄,
Ne pereant rapidæ fauce uel ungue feræ:
Sic pius antistes Picus cura q̄ fide q̄,
Romano Christi clausit ouile lupo.

Nam

Nam semper docuit: per Mosen terror & ira,
Per mortem Christi uita beata uenit.
Hac spe corpus humo: hac animã tibi Christe di-
Dum iudex illi lucida mēbra dares, (cauit,
Christe tuo famulo da fidi grata laboris
Sit requies: animæ non peritura salus.
Pastores patrio da nobis corde fideles,
Qui mōstrēt agnum te, bone Christe, Dei.

GREGORIUS PEVCERVS BVDISSINVS.

Sors sua quemq; manet, seu ferius exeat illa,
Exeat aut citius, fors sua quemq; manet.
Vita quid est igitur: nisi languida spesq; metusq;
Incertæ cunctos dum rapit hora necis.
Viuius hîc morti subiecti legibus atræ,
Nec quisquam illius frangere iura potest.
Viuius hîc inopem, sed cum spe diuite, uitam,
Nam nos defunctos cœlica regna manent.
Hoc & Nicoleo non mortis legibus æquæ
Contigit, hunc rapuit mortis auara manus.
Qui primum Elysijs docuit feliciter oris,
Literulas pueros cum pietate bonas.
Post ubi mutauit uitæ genus acrior ætas,
Et cœpit sacra conditione frui:
Doctrinæ studium toto cœlestis obibat
Pectore, quod uerã monstrat ad astra uiã.
Huius successu, quod Misnia tota probabit,
Sunt aucta æterni cœlica regna Dei.

Hunc

Hunc (aliquot postquã diuinũ munus ad annos
Gessit constanti sacra docendo fide)
Abstulit atra dies, qui Christũ in uota uocando,
In domino clausit fata suprema Deo.
Nunc in sanctorum coetu, uatumq; cohorte,
Aeternæ felix tempora pacis agit.
Ossa premit tellus, lucis reditura sub auras,
Coelestis sonitum cum tuba clara dabit.
Præteriens igitur tumulum, dic ossa quiescant
Molliter, et Myrrham spiret et urna crocũ.

CHRISTOPHORVS CVRIO LIPSENSIS.

Quam sint humano fragiles in corpore uires
Aspice, qui tumulo perlegis ista meo.
Saluus ego hesterno uita qui sole fruebar,
Et mea lassã thoro membra leuanda dabã:
En hodie iaceo fato depressus iniquo,
Et mihi mors auidas intulit atra manus.
Ergo mortalem memori te pectore discas,
Et tota dominum mente timere Deum.
Ne te spernentem diuini iussa parentis,
Momento rapiat mors inopina breui.
Sed nihil hæc potuit nobis properata nocere,
Quod mea tota fuit uita dicata Deo.
Cuius oues pauï fugiente fideliter æuo,
Iam Christi aspectu colloquioq; fruor.
Et quod in hac nequijt ratio comprehendere uita,
Hoc mihi cum sanctis explicat ipse Deus.

B

Iam

Iam mihi si totus mundus, cunctæq; darentur
Diuitiæ, & uastus quas habet orbis opes:
Viuerenon cuperem scelerato in carcere mundi,
Pax in siderea gratior æde uiget.
Hic igitur mecum, qui morte mouebere nostra,
Ut possis olim uiuere, uiue bene.

CONSOLATVR VXOREM ET LIBEROS
in luctu grauisimo.

Quid prodest lacrymas longosq; effundere
Fataq; moerendo sollicitare mea? (fletus
Firmatum nullo uobis si numine pectus,
Si foret à Christo mens aliena Deo:
Non ego mirarer tales accedere luctus,
Tanquam spes esset lucis adempta sacræ.
Siste graues igitur lacrymas, dulcissima coniunx,
Et iam mœsta meo funere tota domus.
Namq; animo natos fido quos semper amaui,
Haud ullo dominus tempore destituet.
Cū surgent autem demortua membra sepulchris,
Te gaudens oculis ipse uidebo meis.
Interea coniunx communis pignora lecti,
Dilige, & admoneant te precor illa mei.
Et uos ô nati mores retinete paternos,
Sic mea uobiscum gloria semper erit.

SEBASTIANVS SCHEFFER ALDENBERGENSIS

Multiplices hominū distringunt pectora curæ,
Rara tamen lethi pectora cura subit. (ræ,
Nauibus

Nauibus hic tumidū fulcat uolitantibus æquor,
Vt sibi diuitias accumulare queat.

Immensis alius spaciosam sumptibus arcem,

Altaq; marmoream ducit ad astra domum.

Eruit ille suæ uitæ discrimine terram,

Inueniat tacito si qua metalla solo.

Maxima pars inhians titulis & honoribus am-

Vult proceres inter prima tenere loca. (plis,

Haud ego propositi rationes improbo tanti,

Sæpe necis solum si meminisse finit.

Quæ nos in terris bona parta relinquere cogit,

Cum semel accelerat non remorante gradu.

Quæ reges hîc, lege pari, moderamine priuat,

Vertice de capitis cum diadema trahit.

Quæ magnis humiles, inopes locupletibus æ-

Decrepitis pueros, uirginibusq; mares, (quat,

Deterior reliquis, fumoso turba Falerno

Consueuit plenos euacuare cados.

Quæ nunq; extremæ prudens reminiscitur ho-

Qua gelidam linquet Spiritus iste cutē. (ræ,

Nam licet innumeros populos prosternere mor-

Aequali dubiam conditione uidet: (tem,

Immunem demens (illam sic bruta uoluptas

Vinxit) ab hac plane se tamen esse putat.

One securus peragas homo tempora uitæ,

Est ad utrunq; tibi mors taciturna latus.

Aërias hodie ducis lætissimus auras,

Luce cadauer iners adueniente iaces.

B 2 Plurima

Plurima non opus est exempla referre priorum,
Quos auida rapuit mors inopina manu.
Aspice doctrina simul & grauitate uerendum
Picum, qui templo præfuit ante sacro,
Et pius antistes uiginti firmiter annos,
Explicuit ueri dogmata pura Dei.
Pro quibus ille quidem uel sæua pericla subire,
Et uel dura pati uincula promptus erat.
Prolis ouile Dei qui sedulitate regebat,
Et iuxta timidus peruigilabat oues:
Nocte dieq; lupis ne circumeuntibus esca
Forſitan imbelles, sæpe cupita, forent.
Nec, modo quo poterat gregibus feruire tenellis
Grande recusabat ferre laboris onus.
Aspice quàm subito, resolutis undiq; membris,
Occidit heu Misna doctor in urbe bonus.
Sanus adit lectum, Christo se dedicat uni,
Et ponit dulci membra quiete fouens.
Ardua sed primo feriente cacumina sole,
Correptū hunc morbo rumor iniquus ait,
Morbo, qui linguam uerbis, tinnitibus aures,
Motibus articulos despoliare solet.
Ad medium properat cum sol altissimus axem,
Declinat morti protinus ille caput.
Sic uidet una dies ipsum superesse uigentem,
Ereptum fatiſ sic uidet una dies.
Nemo sed hoc casu factum putet esse, uoluntas
Optima cœlestis numinis ista fuit.

Eripit

Eripit hospitio mundi quod sacra docentes,
Ducit & in patriam moenia celsa poli.
Cur? ut significet, quod mens ingrata notauit,
Haud dignum uulgus talibus esse uiris.
Ut quoque discamus, qua simus origine creti,
Quodque sit humanum puluis et umbra genus.

EPITAPHIA

TRIVM DOCTISSIMORVM

THEOLOGORVM, QUI PARI STUDIO DOCTRINAM uerbi caelestis propagarunt, in oppido Misena, et biennio ferè interiecto, breui temporis spacio, ex hac mortali uita discedentes, resurrectionem piorum ad uitam eternam, in Christo expectant.

D. IOHANNIS ALBINI PASTORIS ET PRAESIDIS Ecclesiae Misnensis &c. obiit III. die Augusti,
Anno Christi M. D. LXI.

QValis Ieremias, lacrymis qui plenus amaris,
Aspexit patriae publica damna suae;
Talis eras Albine, malis exercite curis,
Dum sacrum, duro tempore manus obis.
Ah quoties furor, & rabies liuoris acerbi,
Officij coeptas detinuere uias.
Ah quoties fida Christum ne uoce sonares,
Subdolus astuta restitit arte sathan,
Sed tua te pietas, & mens sibi conscia ueri,
Iussit in aduersos fortiter ire duces,
Et meritum Christi sacro defendere uerbo.
Tantus in ardenti pectore Zelus erat.

B 3 At

At nunc, fessus uti duro certamine miles
Arma solet, facta pace, referre domum:
Sic uenerande senex, tua longo fracta labore,
In terræ recubant molliter ossa sinu,
Exurgentq̄ iterum lætas rediuiua sub auras,
Venerit huic mundo quando suprema dies.
Tunc tibi defensæ reddentur præmia causæ,
Alba stola, & superûm facta corona manu,
Inq̄ beatorum dulci lætabere coetu,
Pax ubi perpetuos floret amœna dies,
Interea dicat, tumulum quicumq̄ salutat:
Hic sunt diuini Militis exuuiæ.

D. N. M. ALEXII PRAETORII PASTORIS ET
presidis Ecclesie Misnensis. &c. obiit XIIII. Octob.
Anno Christi M. D. LXIII.

PASTOR, & antistes templi Misnensis, Alexi,
Dum concessa, Dei munere, uita fuit:
Hunc tibi supremum grati largimur honorem,
Ne tua præteriens nesciat ossa puer.
Te tulit Elysijs urbs non incognita terris,
Nomen ab excelso cui Lea monte dedit,
Misena, Dauidicas quæ per te diligit odas,
Mirata est uocem per tria lustra tuam.
Et nunc, ô mundi uarijs erepte periclis,
Ante dolet iustum te cecidisse diem.
Nec lacrymas retinet, quoties sine crimine mors
Ac tanti subeunt ora diserta uiri. (res,
Sed

Sed tamen afflictas pia consolatio mentes,
Quod uita superes in meliore, leuat.
Hic ubi te uultu rursus fulgere sereno,
Lucentes inter conspiciemus auos:
Stella uelut reliquos cœli superemicat ignes,
Quæ rutilas solis nunciat orta uias:
Sic meruere pñ, qui dogmata sancta professi,
Ad sacra plebeios erudiere uiros.
Salue sancte pater, dumc̄p̄ ingrediamur eandem,
Quæ uia te cœli duxit ad astra, Vale.
Et geminos pietas quos iussit scribere uersus,
Hos desiderij signa perennis habe:
Qui iacet hîc medio consumptus Alexius æuo,
Ille tuus frugi Christe minister erat.

DN. M. NICOLAI PICI PASTORIS ECCLESIAE
Misnensis, ad S. Afram &c. obiit XVIII. die Septembris.
Anno Christi M. D. LXV.

ERgo ne Pice iaces, & te quoq; fata tulerunt,
Heu nimium nostris inuidiosa bonis?
Sic grauis Albinus, sic dulcis Alexius oris,
Nuper ab humana cessit uterq; uia.
Quid rear hos crebros obitus, & clara uirorum
Funera, natali significare solo?
Seu quia sacrorū sunt nullo in honore ministri,
Offensi uicijs hîc superesse negant.
Siue, quod heu uereor, Deus inflammatus ad irā,
Hos urbis pœnas euocat ante graues.

Ne

Ne totum ponto submersum cerneret orbem,
Suppositus gelidæ est antè Lamechus humo,
Et Lothus ex illa deductus abiuerat ora,
Quæ nunc sulphureis ignibus ic̄ta iacet.
Hoc reor, hoc Pici mors immatura minatur,
Ni fuerit summi mitior ira Dei.
Misena, præstantum sedes antiqua uirorum,
Quæ fles effusis, facta ter orba, comis,
Offensum uenerare Deum, precibusq̄ peractis,
Flecte graues morum commoditate minas.
Ne quæ uicinis etiam nunc lumina iactas,
Extinguat nigra mors inopina manu.
Summe pater prohibe, nec iusta sæuus in ira
Sperne tuæ laudem quam bonitatis habes,
Sed facilis mitisq̄, bonos largire ministros,
Qui fida, messis tempore, falce metant.
Qualis Picus erat, carmen cui tale dicamus
Ostendat positus quod super ossa lapis:
Qui tulit ingentes rapido sub sole calores,
Dum messas sacro rure recondit opes:
Hic Picus molli placidè requiescit in umbra,
Donec iusta dabit præmia cuiq̄ Deus.

*Vuolfgangus Crellius
Misnensis.*

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

17. Dez. 1990		
11. April 1994		
29. Feb. 1990		
24. April 1998		

III/9/280 JG 16

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0275360

H. Sax H 581

